



Umschreibung

Ee, 4



N. 47.

QVVM
VIR ILLVSTRIS, MAGNIFICVS,
EXCELLENTISSIMVS, EXPERIENTISSIMVS
ET DOCTISSIMVS

**D. FRIDERICVS
HOFFMANNVS**

POTENTISS. REGI BORVSS. A CONSILII
INTIMIS ET ARCHIATER, COMES PALATINVS CAE-
SAREVS, ACADEMIAE FRIDERICIANAE SENIOR ET
PROFESSOR MEDICINAE PRIMARIVS, SOCIETATIS
IMPERATORIAE CAROLINAE, PETROPOLITA-
NAE, LONDINENSIS ET BORVSSICAE
SODALIS

D. III. MARTII MDCCXXXIX.

ANNVM AETATIS LXXX.

FELICISSIME INGREDERETVR,
EXTEMPORANEA HAC SED SINCERA GRATVLATIONE
OBSERVANTIAE TESTIMONIVM
DARE CONSTITVIT

M. IO. GOTTLOB KRÜGER.

HALAE MAGDEBVRGICAE
TYPIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI, ACADEM. ET SENAT. TYPOGR.



VIR ILLVSTRIS, MAGNIFICE,
EXCELLENTISSIME,

D. FRIDERICVS
HOFMANNVS



Orpora resistere ipso sensuum testimo-
nio cognoscimus. Quodsi igitur nul-
la, quæ veræ actionis nomen non
mereatur, datur resistentia, nulla-
que sine vi actio concipi potest: cor-
pus viribus motricibus gaudere, ex-
tra omnem dubitationis aleam positum erit. Neque ob-
scurum villo modo esse potest vires per structuram modifi-
cari

cari & ad determinatum effectum producendum a præred-
di. Concesso hoc, concedendum erit ex structura & vi in-
sita corporis reddendam esse rationem eorum, quæ in eo-
dem contingunt, atque ideo mechanice de corporibus
philosophandum esse. Neminem noui, qui eo abierit de-
mentiae vt corpus humanum corpus esse negauerit. Quid-
ni igitur de corpore humano mechanice philosophandum
esse concedamus? Tenendum vero certas & immutabiles
a summo Numine corporibus præscriptas esse leges & re-
gulas, quas constanter obseruant, quæ si attenta mente a
nobis considerantur & perfectissimus exinde resultans na-
turæ ordo perpenditur, non possumus non summi creato-
ris omnipotentiam & sapientiam tantam exinde conclu-
dere vt a nullo mortalium, ne obscuris quidem cogitatio-
nibus attingi queat, nihilque nobis restare percipimus,
quam infinitas has perfectiones admirari, piaque mente
venerari, quarum in mundo leuem quamuis satis elegan-
tem tanquam in speculo expressam conspicimus imaginem.
Derexit, & detectas ab aliis has immutabiles naturæ leges
in systema redegit vir immortalis gloriæ ISAACVS NEW-
TONVS. Vitaque eius præclara satis ostendit non ad
atheismum, non ad vitiorum abyssum, sed ad Summi
Numinis venerationem sinceramque pietatem deducere
veram naturæ cognitionem. Quare etiam epitaphio eius
ornatissimo inscripta inter alia hæc leguntur verba: *gra-
tulentur sibi mortales tale tantumque exitisse generis hu-
mani decus.* Meritissimam hanc viri præclari laudem TIBI,
VIR ILLVSTRIS, eodem, si non maiori iure tribuendam esse
non potest non quilibet, qui Te, Tuamque virtutem,
qui

qui illustria & in perpetuum duratura Tua scripta nouit,
ambabus largiri manibus. Nimum non dico. Excel-
lētis ingenii est leges motus detegere, excellentioris illas
ad corpus humanum ita applicare, vt conclusiones inde
resultantes ad perfectæ fanitatis conseruationem diutur-
namque a morte præseruationem conducant. Testimo-
niis in re clara opus non est. Quem enim fugit mechani-
cam in medicina philosophandi rationem primum sequu-
tum esse **ILLVSTREM NOSTRVM HOFFMANNVM**,
quum ante hæc tempora occultis qualitatibus, terminis
inanibus & vanis fictionibus nobilissima scientia obuol-
ueretur. Testantur de principiorum veritate & certitu-
dine felices in arte salutari successus tot tantorumque Eu-
ropæ principum gratia confirmati. Quæ quum ita sint,
quilibet bonus mecum ardentissimis Deum fatigabit preci-
bus, vt **TE, VIR ILLVSTRIS**, annum ætatis nunc octogesi-
mum ingressum diu adhuc saluum & incolumem esse iubeat,
vt non, nisi post longioris temporis decursum epitaphio
Hoffmanniano inscribere cogamur: *gratulentur sibi mor-
tales tale tantumque extitisse generis humani decus.*



Ua 933^a

I. 4^o

ULB Halle 3
003 591 591





QVVM
VIR ILLVSTRIS, MAGNIFICVS,

EXPERIENTISSIMVS
ISSIMVS

ERICVS
ANNVS

BORVSS. A CONSILIIIS
OMES PALATINVS CAE.
ERICIANAE SENIOR ET
RIMARIVS, SOCIETATIS
NAE, PETROPOLITA.
ET BORVSSICAE
LIS

MDCCLXXXIX.
ATIS LXXX.

REDERETVR,
INCERA GRATVLATIONE
ESTIMONIVM
ITVIT

OB KRÜGER.

BVRGICAE
TI, ACADEM. ET SENAT. TYPOGR.

